



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.15. Inquisitio habetur in Gallia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Nempe Joannes Parmensis Minister eorum Sæcul. XIII.  
 Generalis opusculi author esse credebatur. A.C. 1255.

Papa Doctorum Parisiensium litteris haud commotus, Cancellario ad S. Genovesam per litteras 25 Nov. scriptas interdixit, ne facultatem quampiam Parisiis docendi potestatem daret iis, qui renuerent observare diploma *Quasi lignum vitæ*. Unde constat, Cancellarium ad S. Genovesæ tum temporis fecisse copiam tradendi publice quatuor facultates. Papa eodem fine scripsit Episcopis Aurelianiensi & Antisiodorensi: sed executionem novi hujus mandati distulere ad concilium Parisiis eodem anno celebrandum.

## §. XV.

*Inquisitio habetur in Gallia.*

Interim S. Regis Ludovici rogatu Papa Alexander per litteras 13 Dec. Romæ Rayn. n. 95. datas Dominicanorum per Franciam Magistro Provinciali, & Fratrum Minorum Parisiensium Præsidi (Guardianum vocant) injunxit officium Inquisitionis per regnum universum exceptis terris Comiti Pictavii Tolosæque Alphonso Regis fratri propriis, fidei Cognitores jam habentibus. Inquisitores jubet investigationes, ac cætera, quæ cum hæreticis acta sint, ab illis omnibus, qui ea conscripta teneant, ponere.

*Histor. Eccles. Tom. XXI.* M stula

Sæcul. XIII.  
A. C. 1255.

stulare, in hæresis reos, vel solum infamia ejus flagrantes, nisi se prorsus Ecclesiæ submittant, animadvertere, & Magistratus civilis præsidium, si opus sit, invocare. Dat illis potestatem absolvendi eos, qui hæresin sincere ejuraverint, & faciendi, quidquid ad hoc munus exercendum necesse sit, haud obstante, quæ Religiosis concessa fuerit, libertate ejusmodi mandata abnuendi. Vult autem, ut ad hæreticos judicandos, vel perpetuo multandos carcere ab Episcopis locorum consilium petant. Hæc Inquisitio per Franciam generalis, &, quod majus est, ob Regis S. Ludovici preces instituta notari maxime meretur.

## §. XVI.

*Relatio Guilielmi Rubruquisii.*

Exeunte hoc anno 1255 S. Ludovicus a Guilielmo Rubruquisio Franciscano, quem duobus abhinc annis in Tartariam miserat, itineris hujus relationem accepit. Ejus summam vide! Sacra Majestas tua scit, ut opinor, nos anno 1253. 7. Maji pontum Euxinum, (mare magnum Bulgari vocant) navigio ingressos, 21 ejusdem mensis Soldajam in Tartaria Minore sitam advenisse. Diximus nos adire Sarchium, quem esse Christianum comperrissemus, & ad eum nos ferre litteras Re-

*Haeluyt.*  
*to. 1. p. 71.*  
*Bergeron.*  
*p. 2.*

gis